

3 Species Ecclesiæ ita habent: Ecclesia
est vel triumphans, vel militans: illa nunc
in cœlis cum Christo triumphat, & post re-
surrectionem plenum triumphum aget:
hæc in terris sub Christi vexillo militat, &
adversus inimicos internos & externos pu-
gnat, respectuque nostri visibilis & invi-
sibilis dicitur.

4 Visibilis est cœtus hominum exter-
nis & visilibus modis, prædicatione scil.
verbi & sacramentorum communicatione
gratiosè evocatus, qui candem fidem ex-
ternè profitetur.

5 Invisibilis est cœtus hominum ele-
ctorum internè & efficaciter ad vitam æ-
ternam vocatorum, quorum electio & fi-
des humanis sensibus non patet.

6 Affectio Ecclesiæ catholicæ sive uni-
versalis & invisibilis est immunitas à defec-
tione totali & errore fundamētali: Visibilis
verò & particularis contrà, non tantū error
fundamētum fidei notabiliter inquinans,
sed etiā exitialis & finalis defectio. Ecclesiæ
enim catholicæ species vna, sc. invisibilis
militans, etsi in rebus levioribus, quæ non
simpliciter ad salutem sunt necessariæ,
quæque fundamentum non concernunt,
errare possit, tamen in fide penitus nō ab-
errare, neque totaliter & finaliter deficere
potest: